

quali conservativas gratiae, & peccati non debet dari maior oppositio, quam inter gratiam, & peccatum. Tum quia dispositio conservativa peccati non minus exigit, vel tendit ad destructionem gratiae, quam dispositio gratiae exigit, & tendit ad destructionem peccati. Tum denique: quia si gratia, & peccatum possunt per potentiam Dei absolutam conservari pro B. & C. etiam possunt conservari sine suis dispositionibus connaturalibus: & tunc contingeret, si Deus denegaret auxilium efficacem ad actum charitatis, & omnem praemotionem ad materiale peccati: ergo conservatio utriusque esset miraculosa pro G.

§. IV.

Ultima resolutio restrictiva ad primum instanti peccati.

68 **D**icendum est ultimum, gratiam, & peccatum actuale non posse coexistere pro primo instanti, nec posse peccatum condonari pro instanti, quo committitur. Prima pars est contra sextam sententiam num. 54. relata, praecipue contra Lorcam asserentem 1. 2. disp. 40. peccatum defectu coniungi in primo instanti reali temporis cum gratia in eo, qui praesens iustus; quam tamen sententiam nostris argumentis convictus postea temperavit, seu limitavit 2. 2. disp. 22. num. 25. ad instanti natura.

Et probatur primum ex illo 1. Ioann. 3. Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quia ex Deo natus est; sed homo per gratiam nascitur ex Deo, ideoque ratione illius est filius adoptivus Dei: ergo habens gratiam non potest peccare; sed peccare potest peccato destruyente gratiam, ut est de fide: ergo peccare non potest coniungendo peccatum cum gratia. ¶ Et confirmatur ex propositionibus Baij damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. in quibus assererat, reatum poenae aeternae coniungi cum charitate perfecta. Propositio enim 70. hac erat: Charitas etiam perfecta potest existere cum reatu aeternae damnationis.

Respondebis primum, haec tantum habere locum de peccato habituali, de quo tantum est sermo in praedicto testimonio, & Pontificum decreto.

Contra est: Tum quia Ioannis testimonium expresse loquitur de peccato actuali: nam non posse peccare absolute appellat supra peccatum actuale, sicut non posse calefacere appellat potius supra calefactionem, quam supra terminum eius. Tum etiam: nam peccatum habituale ponitur in eodem instanti, ac peccatum actuale, sicut lux ponitur in eodem instanti, in quo est actio illuminandi; sed iuxta solutionem da-

tam, & iuxta veritatem peccatum habituale nequit in primo instanti coexistere cum gratia: ergo nec peccatum actuale. Tum denique: nam propterea peccatum habituale non potest coexistere cum gratia in primo instanti, quia opponitur gratiae vel essentialiter, vel ex natura rei; sed peccatum actuale opponitur eodem modo cum gratia: ergo si peccatum habituale non potest coexistere in primo instanti cum gratia, nec peccatum actuale. Minor probatur: nam actio instantanea productiva alicuius termini habet eandem oppositionem saltem mediate cum forma, cum qua eius terminus habet oppositionem: & ita actio productiva umbræ habet eandem oppositionem cum luce, ac ipsa umbra; & illuminatio eandem oppositionem habet cum umbra, ac lux: ergo etiam peccatum actuale habet eandem oppositionem cum gratia, ac peccatum habituale. Adde: Quia ex hoc modo dicendi sequitur, quod homo multoties peccet, & semper sit in gratia: Nam in instanti, in quo peccat, habet gratiam: in instanti sequenti potest conteri; ac proinde habebit gratiam, & sic de reliquis instantibus succedentibus usque ad viginti, aut quadraginta annos.

Nec prodest Lorca recursum ad signum naturae supra insinuatum. Non, inquam, prodest: Tum quia, quae sunt simul natura, necessario debent esse simul in aliquo instanti temporis, licet inter ea, quae sunt simul in aliquo instanti temporis, unum possit esse prius natura, quam aliud: ergo vel peccatum actuale, & gratia non possunt esse simul natura, vel essent simul in aliquo instanti temporis. Tum etiam: Nam ideo gratia, & peccatum actuale non possent esse simul pro aliqua duratione, sive longa, sive parva, sive instantanea temporis, quia peccatum actuale ex sua natura, immo & essentialiter producit in sui duratione peccatum habituale impossibile cum gratia in omni signo vel temporis, vel naturae; sed ratio haec probat, in nullo signo adhuc natura posse peccatum actuale esse simul cum gratia: ergo peccatum actuale nequit existere simul cum gratia in eodem signo naturae. Minor probatur: nam ea intelliguntur coexistere in eodem signo naturae, quae requiruntur ad praestandum aliquem effectum: signa enim naturae excogitata sunt à Philosophis ad explicandam diversitatem causarum; ideoque quod existit in eodem instanti, sed non conducit persè ad hoc, ut aliud sit causa alicuius effectus, nequit dici esse cum illo in eodem signo naturae, & potiori titulo nec ipse effectus: e converso, quia existentia (v. g.) est conditio necessaria, ut agens producat effectum in genere causae efficientis, est cum illo in eodem signo naturae; sed expulsio gratiae est effectus necessarius peccati actualis, ut supponitur cum Lorca, aliis gratia nec est causa, nec conditio ad sui expulsionem: ergo nullo titulo

potest intelligi esse in eodem signo naturae cum peccato actuali. Tum denique: Nam ex hoc modo discurrendi sequeretur gratiam, & peccatum habituale esse simul in eodem signo naturae, quod negat Lorca. Quod sic suadetur: nam in signo gratiae non intelligitur exclusum peccatum habituale, quia gratia est prior natura exclusione peccati, sicut generaliter qualibet causa est prior natura suo effectui; sed hac ratione docet Lorca, peccatum actuale esse simul cum gratia in eodem signo naturae: ergo etiam peccatum habituale esset simul cum gratia in eodem signo naturae.

69 Ex his facile probatur secunda pars conclusionis contra nonnullos recentiores Societatis: Nam impossibile est, quod peccatum remittatur sine gratia; sed impossibile est, quod peccatum sive habituale, sive actuale sit in eodem instanti cum gratia: ergo impossibile est, quod peccatum remittatur in instanti, in quo committitur. Deductio est legitima. Maior supponitur ex dictis dub. 3. per totum, & dub. 4. Minor factis probata manet ex hucusque dictis in hoc dubio, maxime num. 68.

Et confirmatur ex D. Thom. 3. part. quaest. 68. art. 4. ubi inquit: Nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest à peccato mundari: quia hoc esset ponere contradictoria esse simul; sed in instanti, quo quis peccat actu, habet voluntatem peccandi, ut ex se liquet: ergo implicatorium est, quod peccatum remittatur in instanti, in quo committitur.

Roboratur hoc, manifestando contradictionem insinuatam à D. Thom. Nam peccatum committi in A est esse peccatum in A; peccatum remitti in A est peccatum non esse in A: ergo peccatum esset, & non esset in A; hoc autem esset contradictoria esse simul, quod repugnat ergo repugnat peccatum remitti in instanti, in quo committitur.

Si vero dicant adversarij, peccatum remitti in instanti, in quo committitur, non esse idem, ac non existere in eo peccatum actuale, sed quod non transeat in habituale eò, quod Deus potest cedere in illo instanti iuri suo ad odio habendum illud. Contra est primum: nam illuminatio nequit existere, quin in eodem instanti ponatur lux: ergo nec peccatum actuale potest dari quin ponatur peccatum habituale. Pater consequentia: quia non minus connexus est terminus peccati actualis cum illo, qui est peccatum habituale, quam lux cum illuminatione. ¶ Secundò. Nam peccatum habituale consistit in privatione gratiae; sed impossibile est, quod ponatur peccatum actuale, & non ponatur privatio gratiae, aliis possent esse simul: ergo impossibile est, quod peccatum actuale non transeat in habituale. ¶ Tertio. Impossibile est, quod Deus sit necessitatus ad odio habendum peccatum, in suppositione quod sit, & quod

illud remittat; sed Deus est omnino necessitatus ad odio habendum peccatum, in suppositione quod sit: ergo impossibile est, quod illud remittat in instanti, in quo committitur. Minor probatur: non minus est Deus necessitatus ad odio habendum peccatum, ex suppositione quod sit, quam ad amandum gratiam, in suppositione quod sit, maxime in sententia adversariorum asserentium gratiam non esse tantum bonum, quam peccatum est malum; sed Deus est omnino necessitatus ad diligendam gratiam, ex suppositione quod sit, cum sit terminus actualis amoris, à quo necessario conservatur, in suppositione quod sit: ergo. ¶ Quarto. Nam dato, quod Deus non esset omnino necessitatus ad odio habendum peccatum in suppositione quod sit, non potest negari, quod peccatum actuale fundat ius proximum ad odium, dum est; sed chimericum est dicere remitti peccatum, dum adest ius proximum ad odium; sicut chimericum est dicere destrui essentiam, dum manet ius ad proprietates: ergo. ¶ Quintò, & ultimo (per quod detegitur hallucinatio adversariorum.) Nam licet Deus possit cedere iuri suo puniendi, & satisfactionem exigendi, antequam peccatum committatur, vel in instanti quo committitur; implicatorium tamen est, quod non existat quoad reatum culpae tam actualis, ut supponitur, quam habitualis. Nisi veline dicere, quod peccatum habituale consistit in deputatione, sive obligatione ad poenam; quod erit incidere in sententiam Scoti supra impugnatam.

§. V.

Adversariorum fundamenta:

70 **A**rgumenta adversariorum magna ex parte manent ex dictis praclusa. Sed adhuc restant plura diluenda, quae proponemus maiori distinctione qua possumus. Igitur in primo loco venient, quae militant contra secundam resolutionem, & reliqua per ordinem. Quae enim militant contra primam alibi enodata manent.

Arguitur ergo primum contra secundam resolutionem. Nam peccatum grave sive actuale, sive habituale non habet connexionem adeo necessariam cum expulsionione gratiae, qualem habet calor ut octo cum destructione frigoris; sed calor ut octo solum ex natura rei opponitur cum frigore: ergo gratia, & peccatum non opponuntur ex natura rei, sed ad summum moraliter. Maior probatur: tum quia privatio gratiae est poena peccati tam actualis, quam habitualis; sed poena non est adeo connexa cum peccato, sicut est connexa destructio frigoris cum calore ut octo, sicut nec praemium cum merito: ergo peccatum grave non habet tanta

eam connexionem cum privatione gratia, quantum habet calor vt octo cum expulsiōe frigoris. Tam etiam: nam id, quod non pertinet ad ordinem physicum, non habet tantam oppositionem cum forma physica, quantum habet una forma physica cum alia physica sibi opposita; sed gratia est forma physica, & peccatum de linea morali: ergo idem, quod prius. Tum denique: nam si calor vt octo non esset æque bonus (vt sic dicamus) ac frigus est malum, non haberet ex natura rei oppositionem cum frigore; sed gratia non est æque bona, ac peccatum est malum, cum hoc inducat offensam simpliciter infinitam: ergo.

Confirmatur. Nam quia calor vt octo, & frigus opponuntur ex natura rei, eadem actio, quæ producit calorem vt octo, est sufficiens esse ad expellendam frigiditatem; sed actio, per quam remittitur peccatum, est diversa ab infusione gratia: ergo signum est, quod peccatum, & gratia non opponuntur ex natura rei. Minor probatur nonnullis testimonijs sacrae Scripturae: nam ad Rom. 4. dicitur: *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Et ad Colos. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij dilectionis suæ:* in quibus remissio peccati, & infusio gratia recensentur tanquam duo distincta beneficia. Accedit decretum Trident. sess. 6. cap. 7. ubi statuit, quod iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio.

Ad argumentum. respondetur negando maiorem. Quinimod peccatum habet maiorem connexionem cum expulsiōe gratia, quam calor vt octo cum frigiditate, vt constat ex dictis in tertia assertione. Ad primam probationem dicimus, quod privatio gratia ita est pœna peccati, quod etiam habeat rationem culpæ habitualis; & dum pœna se habet hoc modo, habet æqualem, immo maiorem connexionem cum peccato actuali, quam expulsiō frigoris cum calore vt octo.

Ad secundam probationem dicendum est, entia moralia esse in duplici differentia: alia enim dicuntur talia præcisè in æstimatione prudentum, quo pacto offensa passiva Dei pertinet ad ordinem morale, & merita mortificata per peccatum dicuntur revivisci per iustificationem. Alia dicuntur talia per ordinem ad regulas morum: ad hunc etiam sensum, quod causa sive formalis, sive efficiens moralis potest esse talis, vel quatenus per seipsam non præstat suum effectum, sed movet & allicit voluntatem alterius, vt præstat talem effectum, & hoc modo meritum est causa præmij: vel potest esse talis, quatenus immediate per seipsam præstat effectum, & hæc coincidit cum causa physica, etiam si sit quid morale. Peccatum autem actuale, & habituale hoc posteriori mo-

do est quid morale, & propterea non habet maiorem oppositionem cum gratia, quam calor vt octo cum frigore. *Adde primò:* Nam peccatum habituale consistit in privatione physica gratia, ideoque ex hac parte immediate opponitur gratia. *Adde secundò:* Nam sicut peccatum est quid morale pertinet, & dicens ordinem ad regulas morum, etiam gratia est quid morale hoc modo, cum sit radix ordinans hominem ad Deum ultimum finem, qui est prima, & præcipua regula moralitatis. Unde ex hac parte non est minor oppositio inter peccatum, & gratiam, quam inter calorem, & frigus, sicut non est minor oppositio inter virtutem, & vitium. ¶ Ad tertiam dicimus, quod gratia est æque bona, ac peccatum in ratione malitiae est malum, & propterea dicere potest oppositionem ex natura rei cum illo, & illud expellere. Semel autem expulso peccato in ratione malitiae, necesse est, quod expellatur offensa, quia sublato fundamento ex natura rei cessat res fundata. *Adde:* Quod licet remissio offensa prælet in æstimatione morali perfectioni gratia, ex hoc tantum inferatur, quod non possit illam mereri de condigno. Cum quo rectè cohæret, quod via impossibilitatis illam expellat. Et vergetur hoc in peccato veniali, quod via impossibilitatis destrueret unionem hypostaticam, licet hæc superet incomparabiliter in æstimatione morali peccatum veniale.

Ad confirmationem respondetur negando minorem. Et ad probationem constat ex testimonijs dicendum; ex eis tantum posse evinci, quod remissio peccati, & infusio gratia sunt duo beneficia passiva collata ex vi eiusdem actionis, & ex natura sua inseparabilia. Sicut si Deus uniret sibi hypostaticè naturam affectam peccato, duo beneficia præstaret, nempe emundare illam à peccato, & eam sanctificare, sed essent inter se inseparabilia, & ex vi eiusdem actionis: & ad hunc sensum nullum est inconveniens concedere, quod remissio culpæ, & infusio gratia sint duo beneficia, ita tamen quod remissio culpæ sequatur ex natura rei infusionem gratia.

71 Arguitur secundò (procedit contra tertiam resolutionem.) Nam si gratia opponeretur contradictorie seu essentialiter cum peccato, etiam peccatum opponeretur gratiae contradictorie seu essentialiter; sed hoc est falsum: ergo gratia non opponitur essentialiter cum peccato. Minor probatur: nam ex duobus contradictorijs, dum unum deficit, existit necessariò alterum, quia inter duo contradictoria non datur medium; sed potest deficere gratia, quin existat peccatum, vt contingeret in statu naturæ puræ, & in eo, à quo Deus sine sua culpa auferret gratiam: ergo.

Ad hoc argumentum iam constat ex dictis

ais num. 21. & iuxta ibi dicta respondetur, quod possunt dari plura contradictoria gratia opposita, sicut possunt dari plura contradictoria peccato opposita. Nam sicut peccato opponuntur contradictoria & essentialiter gratia habitualis, unio hypostatica, & actus charitatis; ita gratia opponuntur essentialiter & contradictoria peccato habituale, & carentia sui, quorum quodlibet sufficit, si ponatur, vt non existat gratia, & cum nullo eorum potest per potentiam Dei absolutam gratia coexistere: sicut nec cum peccato potest coexistere unio hypostatica, actus charitatis, & gratia habitualis. Unde illud proloquium, *Ex duobus contradictorijs, dum unum deficit, existit aliud,* non debet intelligi de quolibet determinate, sed de aliquo vage.

72 Arguitur tertio contra eandem assertionem. Nam si gratia, & peccatum opponerentur essentialiter, gratia destrueretur, quin Deus liberè decerneret eius destructionem; sed hoc est impossibile: ergo gratia, & peccatum non opponuntur essentialiter: Maior est certa: nam existentia peccati essentialiter destrueret gratiam; & Deus non decerneret existentiam peccati. Minor verò probatur: tum quia gratia unice existit, Deo decernente: ergo solum potest destrui, Deo liberè decernente eius destructionem. Tum etiam: nam sicut Deus non potest cogi ab aliquo creato ad productionem gratia, ita non potest cogi ab aliquo creato ad eius destructionem, vel ad suspendendum concursum conservativum illius.

Hoc argumentum, si aliquid probat, suadet, quod inter peccatum, & gratiam non datur oppositio non solum essentialis, verum nec ex natura rei. Siquidem nulla necessitate cogitur Deus ad productionem gratia: ex quo, si argumentum rectè probat, sequitur, quod ex natura rei non cogatur ad destructionem gratia ex existentia peccati. Unde sicut Deus liberè producit Angelum, ad cuius productionem à nulla re creata vllò modo cogitur; & tamen, supposita eius existentia, cogitur ex natura rei ad eius conservationem; ita Deus à nulla re creata potest cogi ad productionem gratia, sed à peccato potest cogi ad eius destructionem propter naturalem, vel essentialem oppositionem utriusque: ob quam rationem, posita forma cadaverica, cogitur Deus ad destructionem animæ.

73 Arguitur contra quartam assertionem. Nam ratione effectuum formalium non repugnat, quod gratia, & peccatum simul coexistant: ergo possunt per potentiam Dei absolutam simul esse. Antecedens probatur primò: nam effectus primarius gratia est reddere hominem deum per participationem; sed ratione istius effectus non repugnat, quod gratia, & peccatum coexistant: siquidem ratione huius concep-

tus solum petit gratia radicare habitus supernaturales, & naturaliter expellere peccatum: ergo ratione effectuum formalium non repugnat gratiam, & peccatum simul coexistere. Secundò: Nam nullus est effectus secundarius, qui non possit separari à primario, & cum effectus relatus sit primarius gratia, ceteri censendi sunt effectus secundarij illius, v.g. reddere subiectum iustum in actu secundo, dignum gloriae, filium eius adoptivum &c. sed præcipuè peccatum hoc effectus gratia, & peccatum non possunt coexistere: ergo idem quod prius.

Ad hoc argumentum. respondetur, repugnare quod gratia, & peccatum coexistant tam ratione effectus primarij, quam ratione multiplicis effectus secundarij. Nam imprimis effectus primarius peccati habitualis est subiectum esse privatum gratia: siquidem eius essentia consistit in privatione physica voluntaria gratia, ratione cuius, vt constat, peccatum, & gratia nequeunt coexistere, sicut nec lux, & eius privatio. Deinde ratione multiplicis effectus secundarij nequeunt coexistere: Nam demus gratia, quod esse iustum in actu secundo, & esse iniustum sint effectus secundarij gratia, & peccati; isti autem effectus sunt inseparabiles ab eis non minus, quam esse calidum à calore: ratione ergo horum effectuum nequeunt coniungi: Et idem dicendum est de alijs pluribus effectibus secundarijs. Et quamvis esse filium Dei adoptivum, qui est effectus secundarius gratia, sit à gratia separabilis in homine Deo, secus verò in persona extranea; & ratione illius repugnat etiam, quod gratia, & peccatum coexistant. Ex quibus constat ad utramque probationem.

74 Arguitur quintò contra quintam assertionem. Nam dato, quod peccatum præcedat in *A*, & Deus decerneret gratiam in *B*, non esset miraculum in conservatione peccati: ergo si opponantur tantum ex natura rei, possunt per potentiam Dei absolutam coniungi. Antecedens, in quo tota est difficultas, probatur: nam Deus prævidens exiturum peccatum in *A*, & *B*. solum facit miraculum, si in signo posteriori, & pro *B*. decernat formam oppositam, secus verò in conservatione formæ præexistens: sicut si Deus decerneret ad præsentiam caloris frigiditatem, miraculum esset præcisè in productione frigiditatis, secus verò in conservatione caloris: ergo si peccatum præcessit in *A*, & cum prævisione, quod existet in *B*, non erit miraculum eius conservatio.

Roboratur hoc. Nam solum est miraculum conservatio peccati, quando ponitur extra exigentiam, & resistantiam gratia; sed in prædicta hypothesi non ponitur peccatum extra exigentiam, & resistantiam gratia, quia gratia ponitur in signo posteriori, quod non est aptum ad resistendum peccato: ergo non foret mira-

miraculum conservatio peccati. Ad hoc argumente. satis liquet ex dictis toto §. tertio.

§. VI.

Argumentum ultimum precipue contra ultimam assertionem.

75 **U**ltimo arguitur precipue contra ultimam resolutionem. Nam in instanti, quo peccatum actuale committitur non intelligitur expulsio gratia: ergo saltem peccatum actuale coexistere potest cum gratia in instanti, quo committitur. Antecedens multipliciter probatur. Primum ex Trid. sess. 6. cap. 11. ubi dicitur: *Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*: ergo prius est, quod homo deserat Deum peccando, quam quod Deus deserat illum auferendo gratiam: ergo in primo illo instanti, in quo homo peccat, peccatum actuale & gratia coexistunt. *Secundo*: Nam peccatum actuale ita precedit expulsionem gratia, vt expulsio hac in nullo genere cause precedat peccatum, alias verificaretur, quod Deus prius nos deserit per ablationem gratia, sicut verificatur, quod nos prius deserimus Deum per peccatum: ergo in instanti, aut signo, in quo committitur peccatum actuale, non intelligitur, nec est expulsio gratia, ac proinde gratia, & peccatum possunt esse simul in illo signo, aut instanti.

Confirmatur primò. Nam potest Deus precipere iusto actum meritorium de condigno; sed tunc casus peccatum actuale potest coniungi cum gratia pro instanti, in quo committitur: ergo. Minor probatur: nam iustus potest frangere preceptum, & coniungere transgressionem precepti cum potestate illud adimplendi, alias non esset liber: sed potestas ponendi actum meritorium de condigno, seu adimplendi prædictum preceptum constituitur vnicè per gratiam: ergo tunc potest coniungi peccatum actuale cum gratia. *Explicatur*: Iustus, in instanti quo frangit preceptum, habet potentiam adimplendi preceptum; sed potentia adimpletiva prædicti precepti constituitur essentialiter per gratiam: ergo transgressio precepti potest coniungi cum gratia.

Confirmatur secundò. Nam potest Deus alicui revelare se esse in gratia, & simul precipere ei assensum tali revelationi pro illo instanti; sed in illo casu, & pro illo instanti potest coniungi peccatum actuale cum gratia: ergo. Minor probatur: nam in illo casu posset homo in illo instanti dissentire revelationi: ergo potest coniungi gratia cum peccato actuale. Antecedens est certum: quia revelatio non necessitat ad assensum. Et consequentia probatur: nam dato casu, quod dissentiret, dissensus revelatio-

nis coniungeretur cum revelatione; sed revelatio connectitur cum gratia: ergo dissensus coniungeretur cum gratia.

Ad argument. (quod simul cum confirmationibus suadet, peccatum actuale defectò coniungi, vel naturaliter posse coniungi cum gratia, vt perspicienti constabit.) Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem desumptam ex autoritate Concilij: dicimus ad veritatem illius propositionis sufficere, quod peccatum actuale sit prius prioritate à quo expulsione gratia, seu peccato habituali. Prioritas autem à quo causa respectu effectus petit, ad differentiam prioritatis in quo, quod effectus coexistat cause in eodem instanti reali, & in nullo instanti, aut signo possit cum illa coexistere forma contraria: vt nonnullis exemplis ostendi valet. Illuminatio enim est prior prioritate à quo luce ab ea producta, qua tamen coexistit in eodem instanti reali cum illa, & in nullo signo possunt tenebræ illuminationi coexistere: ite in interpositio corporis opaci est prior prioritate à quo umbra; qua simul est cum tali interpositione, itat in nullo signo, aut instanti intelligitur sine carentia lucis; alias lux, & carentia lucis possent intelligi simul, quod est impossibile. Pariformiter ergo, quamvis peccatum actuale precedat prioritate à quo peccatum habituale, seu privationem gratia, in nullo instanti, aut signo potest intelligi sine illa: quia licet causa actu causans sit prior suo effectu, nequit tamen intelligi sine illo: & hac de causa peccatum actuale nequit intelligi sine peccato habituali, seu sine privatione gratia; & privatio gratia, vt constat, nequit intelligi cum gratia in aliquo signo, aut instanti.

Per quod constat ad secundam probationem. Nam dato, quod peccatum actuale in nullo genere cause sit posterius expulsionem gratia; ex hoc tamen non inferitur, quod gratia coexistat cum illo. Dato enim, quod lux in nullo genere cause precederet illuminationem, non propterea carentia lucis coexistere cum illuminatione: & dato quod interpositio corporis opaci non sit posterius umbra, non ideo lux est componibilis in aliquo instanti, aut signo cum interpositione corporis opaci. Et vt hoc fiat manifestius in presenti materia, nota privationem gratia posse considerari dupliciter: alio modo prout est à nobis, quo pacto habet rationem peccati habitualis à altero modo prout est à Deo, & hoc modo habet rationem poenae. Certum tamen est, quod in omni instanti, in quo ponitur privatio gratia prout à nobis, ponitur etiam prout à Deo, alias possent coexistere in aliquo instanti, aut signo gratia, & eius privatio absolute sumpta, quod nec ipse Lorca concedit. Non minus certum est, quod peccatum habituale ponitur in eodem instanti, in quo ponitur peccatum actuale, sicut in eodem in-

stanti ponitur umbra, & interpositio corporis opaci. Unde de primo ad vitium nullum est instans, aut signum reale, in quo gratia possit coexistere cum peccato actuale.

Ad primam confirmationem responderetur concedendo maiorem; sed negando minorem. Et ad eius probationem dicendum est, quod iustus in sensu composito iusti non potest frangere preceptum, vt deducitur ex illo 1. Ioann. 3. *Omnia, qui natus est ex Deo: non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: quæ verba, cum non possint intelligi in sensu absoluto, seu diviso, vt experientia constat, & fides docet, solum possunt habere verum sensum in sensu composito iusti. Ex quo planè inferitur, quod iustus non potest frangere preceptum, coniungendo transgressionem precepti cum potestate ad illius adimpletionem, qua constituitur per gratiam, quia hoc esset idem, ac iustus posse peccare in sensu composito iusti.*

¶ Nec ex hoc inferas, iustum non esse liberum intransgressionem precepti, cum in instanti, quo illud transgreditur, non habeat potestatem, qua habeatur per gratiam, ad eius adimpletionem: nec in sensu composito iusti habeat potestatem ad transgressionem precepti. Nam quantum ad hoc vitium satis est ad libertatem, quod iustus adhuc in sensu composito iusti possit ponere omissionem actus precepti secundum se, seu negative, qua potest coniungi cum gratia, qua est potestas adimplendi preceptum, licet non possit ponere eam, vt est talis privative. Et ad hanc sententiam defendunt communiter Thomista, Christum, & Angelum in primo instanti fuisse liberos in adimplendis preceptis, quamvis non possent ponere transgressionem precepti, sed omissionem actus precepti secundum se, seu negative, aut in sensu diviso precepti. Nec gratia, ad hoc vt concurrat liberè, opus est, quod concurrat ad vitiumque exercitium libertatis, sed satis est, quod det posse ad vnum, nempe ad exercitium supernaturalis, & quod non sit necessario connexus cum illo, sed permittat, seu subijciatur arbitrio voluntatis, vt hac possit ea vti, vel non vti: in qua suppositione exercitium omissionis actus precepti, sive negative, sive privative sumptum est vnicè à voluntate, cum sit naturale. Solum restat explicare, quomodo homo liberè transgreditur preceptum, cum in instanti, in quo illud transgreditur, non habeat gratiam, & consequenter nec potestatem ad eius adimpletionem. Sed ad hoc facile, & breviter responderetur, satis esse ad libertatem, quod in illo instanti à se voluntarie abijciat potentiam adimpletivam precepti.

Ad secundam confirmationem responderetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum, quod licet homo ille, cui facta foret revelatio, possit dissentire revelationi absolute, & simpliciter; attentis tamen omnibus circumstantijs, sive intrinsecis, sive extrinsecis non potest dissentire: quod est idem ac dicere, quod non potest dissentire in sensu composito, quod datur revelatio vera de existentia hominis illius in gratia: vel, vt melius loquamur, non dissentiet in illo instanti, in quo est in gratia. Et ita si Deus haberet decretum, quod Petrus conservetur in gratia per totam aternitatem, & hoc illi revelaret, præcipiendo ei assensum tali revelationi, posset quidem absolute dissentire: sed nunquam dissentiret, quia ex suppositione talis decreti semper esset in gratia, & in sensu composito gratia non potest peccare, hoc est, non habet potestatem ad coniungendum peccatum cum gratia. Et insinuat hoc contra arguentem. Ponamus, Deum decrevisse in Petro gratiam per totam aternitatem, & peccatum nunquam coniungendum cum gratia. Ponamus secundò, Deum totum hoc illi revelare, & præcipere vt illi revelationi assentiat. Certè in hac hypothesi potest dissentire, vt non negabit arguens. Sed nonne dissentiet, vel potest dissentire in sensu composito prædicti decreti? Nequaquam; alias falsificaretur revelatio de non coniungendo peccatum cum gratia, vel de existentia gratia per totam aternitatem. Pariformiter ergo dicimus, quod posito decreto de existentia gratia in A, & posita revelatione talis existentia, & precepto ad assensum; tunc absolute, & in sensu diviso potest dissentire; sed defectò non dissentiet, proindeque peccatum non coniungeretur cum gratia.

DUBIUM VI.

An impius, vt iustificetur, debeat disponi per aliquos actus: & an sint dispositiones physicae, vel dumtaxat morales: Et tandem an ultima dispositiones procedant à gratia habituali?

HÆc tria, etsi plura dubia, & non levia postulant, sub vno titulo comprehendimus brevitate gratia: non verò omittimus aliquid, quod necessarium sit ad informationem studentium. Sed in limine recolenda sunt, quæ diximus tract. præc. disp. 1. num. 114. circa naturam, & divisionem dispositionis.



§. I.

Prima resolutio primo quaestio respondens.

76 **D**icendum est primò, ad iustificacionem impij requiri aliquos eius actus, per quos ad gratiam disponatur: & hos precipue esse actum charitatis, & contritionis. Prima pars est de fide, definita à Trident. sess. 6. can. 4. his verbis: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti, quo ad obtinendam iustificacionis gratiam se disponat, & preparat: anathema sit.* Idem tradit ibidem cap. 5. & 6. cuius definitio fundatur in pluribus sacrae Scripturae testimonijs. Tale est illud Isaia 45. *Convertentini ad me, & salvi eritis, & Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

Et probatur ratione D. Thom. in praef. art. 3. quae ad hanc formam potest reduci: Deus iustificans impium taliter eum movet, ut infundat ei secundum modum vniuscuiusque formam perfectam, quae sit terminus generationis spiritualis, qualis est gratia habitualis; sed si iustificatio ita sit, dantur actus liberi arbitrii qui sint eius dispositiones: ergo impius, dum iustificatur, disponitur per aliquos eius actus ad gratiam. Maior constat ex ordine, quem Deus servat in naturalibus movendo aliter gravia, & aliter levia iuxta diversas eorum naturas, ut ibi inquit D. Thom. Minor verò probatur: nam homo adultus (de quo precipue procedit ratio) ex natura sua, & modo operandi est liber; sed liberum arbitrium postulat moveri, & disponi per actus illius, itant se moveat: ergo disponitur ad iustificacionem per actus proprios.

77 Nec refert, si respondeas Deum etiam movere hominem iuxta suam naturam, dum ei infundit gratiam excitantem, ad quam nulla praerequiratur dispositio. Similiter si dormiens gratiam per baptismum prius desideratum suscipiat, tunc non est imaginabilis in eo aliqua dispositio: idem dicendum est de parvulo, dum baptizatur. Tandem Adamo ita gratia originalis collata fuit, ut Deus non eum moveret ad aliquam dispositionem liberam, alias posset se à Deo avertere, & peccare: cuius oppositum docent constanter Thomista.

Non, inquam, refert: nam primum praecipuum manet in praedicta ratione, dum diximus gratiam esse formam perfectam, & terminum vltimum generationis spiritualis, ad quam debent regulariter loquendo praecedere aliquae dispositiones iuxta naturam, & capacitatem subiecti, quod informat; atqui oppositum accidit in prima vocatione, sive gratia excitante, cum non sit forma perfecta, sed potius

prima, & ex se ordinata ad gratiam habitua-lem: ergo ex eo, quod ad gratiam excitantem non requiratur aliqua dispositio, nullatenus sequitur necessariam non esse ad gratiam habitua-lem. Et confirmatur: Nam propterea in naturalibus v. g. ad calorem vt vnum non requiritur aliqua dispositio, quia est forma prima, & imperfecta ex se conduens ad generationem ignis: e contra vero ad formam ignis requiruntur aliquae dispositiones, quia est vltimus terminus generationis, & persè intentus. Pariter ideo ad vniõnem essentiae divinae per modum speciei requiritur lumen gloriae per modum dispositionis, & non ad ipsam lumen gloriae, quia essentia divina habet rationem formae perfectissimae, vltimae, & principalis in esse intelligibili, non verò lumen gloriae: ergo idem dicendum est de prima gratia auxiliante relate ad gratiam habitua-lem.

Secundum confirmat nostram rationem: siquidem dormiens non est capax alterius dispositionis praeter virtuaalem ex formali praecedenti relictam, quam debere illi inesse ipsa evasio supponit; sed dum non est dormiens, est capax dispositionis actualis: ergo illum debet habere. Tertium non minus confirmat nostram rationem: nam in parvulis non possunt esse aliae dispositiones praeter habituales, quae consistunt in virtutibus infusis, quibus parvuli disponuntur ad gratiam non minus proprie, ac forma ignis per calorem vt octo, & propter eandem rationem, nempe, quia sine illis gratia non esset in suo statu conaturali, sicut nec forma ignis sine calore vt octo: ergo cum in adulto possit dari vtraque dispositio, nempe, habitualis, & actualis, per vtramque debet disponi, vt disponatur iuxta modum, & capacitatem subiecti. Maximè, quia in praesenti est sermo de iustificacione impij secundum se considerata, & independentè à Sacramentis, vel alia extrinseca Dei dispositione.

Exemplum Adami, & non est ad rem, & etiam confirmat nostram rationem: nam ideo impius eget dispositione propria actuali, quia per proprium actum se avertit à Deo; sed Adamus non erat averfus à Deo, antequam iustificatio originalis acciperet, & hac ratione iustificatio illius, sicut & Christi, Virginis Mariae, & Angeli solum fuit ad instar simplicis generationis: ergo hoc exemplum non est ad rem. Adde (vt videatur confirmare nostram rationem) nam iuxta certam Div. Thom. sententiam Adamus, Christus, & Angelus iustificati sunt medijs proprijs dispositionibus: ergo potiori titulo hoc asserendum est de impio adulto.

78 Sigillarim omnes dispositiones ad iustificacionem necessarias secundum omnia, quae distincta eorum explicatio postulat, recensere, esset quasi in infinitum abire: cogimur tamen nonnullarum quidditatem describere, & levi calamo

lamo elucidare. Prima dispositio ad iustificacionem necessario requisita est fides super naturalis Dei, ad quam reducuntur vocationes, pia affectio, iudicium supernaturale ipsam regulans, caeteraque ad id genus expectantia, cum non ponant in numero cum fide, cui disponunt, & sunt valde necessaria. Huius virtutis necessitas ad iustificacionem principaliter probatur pluribus sacrae Scripturae testimonijs comminantiibus aeternam damnationem vltimo iudicio ferendam non credenti fide supernaturali, & videre est apud Marcum cap. vltimo, & Ioann. cap. 3. & in symbolo Athan.

Deinde potest ostendi ratione D. Thom. in praef. art. 4. sub hac brevi forma proposita: nam Deus iustificacione taliter animam hominis movet, vt convertat eam in se vltimum finem supernaturalem conversione voluntaria; sed motus voluntatis supponit in intellectu cognicionem illius termini, in quem ipsa convertitur: ergo in iustificacione intervenit cognitio directa, & explicita Dei authoris, & finis supernaturalis; sed huiusmodi cognitio est actus fidei supernaturalis: ergo requiritur actus fidei per modum dispositionis ad gratiam. Ad quae, vel quod credibilia in particulari se debeat extendere praedicta fides, non est huius loci determinare, sed pertinet ad tractatum proprium de fide. Sufficiat pro nunc dicere credendum Deum supernaturalem auctorem esse, & remuneratorem, credentemque debere esse paratum credere omnia, quae Deus revelavit, vel revelare voluerit, & considerari sibi per regulam infallibilem, qualis est Romanus Pontifex.

79 Huiusmodi fides sola ad iustificacionem non sufficit, vt blasphemant haeretici huius temporis totum negotium nostrae salutis in fide, seu fiducia, qua credamus peccata esse remissa, collocantes: qui error anathematis fulgure damnatur à Trid. sess. 6. can. 9. & merito, vt potè fidei, & rationi contrarium. Adversatur quidem fidei cum Jacob. 2. proferat fidem sine operibus mortuam esse, nec eam posse hominem salvare, & alibi sepe Scriptura testatur homines mansuros in morte aeterna, sine poenitentia, & charitate.

Etiam est contra rationem: siquidem in iustificacione motus ille necessarius est, qui hominem ad bonum commutabile, vt ad finem vltimum per peccatum convertum, transferat in Deum vltimum finem supernaturalem, alias esset, & non esset iustificatus; sed nulla operatio intellectus ratione sui potest hoc praestare, cum ad intellectum non attingeat attingere finem vt finem, sed praesens ad voluntatem: ergo fides sola non valet hominem iustificare.

80 Post motum fidei annumeratur à Trid. sess. 6. cap. 6. vt conduens ad iustificacionem timor divinae iustitiae conceptus ex horrore poenarum, saepeque adesse testatur. Quod autem

motus iste sit vilis, & conduens, nullo alio fortiori fundamento potest probari, quam auctoritate Concilij loco relato adducta, vbi praedictus motus recensetur inter actus ad iustificacionem necessarios (necessitate saltem vtilitatis) sed Concilium nullum actum, nisi bonum, & vtilem inter dispositiones infusatas credendum est recensere: ergo est bonus, & valde vilis, & conduens ad iustificacionem.

Sequitur vterius duplex alius motus, spei, scilicet, & charitatis. Spem autem conducentem, immò necessariam esse, Scriptura divina proclamat pluribus in locis, praesertim in 1a Ioann. 3. *Qui habet hanc spem, iustificat se, & ad Rom. 8. Spe salvi facti estis.* Rursus motus directe tendens in finem; seu complementum iustificacionis, videlicet, in beatitudinem supernaturalem nequit non prius fundamentum illius locutur, quod est gratia, vt ex se liquet; sed talis motus est ipse: ergo spes disponit ad gratiam; seu iustificacionem. De charitate adeo clare Scriptura loquitur, vt videre est Ioann. 14. *Qui diligit me, dilgetur à Patre meo.* Et Luca 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, itant ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, vt nullus, nisi impudensissimus audeat negare illius necessitatem.* Difficultas tamen circa illam, & actum contritionis est cum Vazquio, an sit forma sanctificans, & hac ratione non debeat proprie computari inter dispositiones ad iustificacionem. Pro quo deservit secunda pars nostrae assertionis.

81 Secunda vero pars assertionis probatur primo ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. vbi docet dilectionem; qua Deum homines tamquam iustitiae fontem diligere incipiunt; esse dispositionem ad iustificacionem: & cap. 7. statim addit, *hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur &c.* sed ibi agit de dilectione perfecta, quae est actus charitatis: siquidem Deus, vt est fons iustitiae, seu vt summe sanctus, & bonus est meritivum proprium charitatis perfectae: ergo actus charitatis est dispositio vera ad iustificacionem.

Adde primò: Nam praedicto cap. vbi agit de dispositionibus ad iustificacionem, actus hominis recenset, & relato cap. vbi iam de ipsa forma iustificante, & renovante agit, nullius operationis meminit: ergo iuxta Concil. nulla operatio habet rationem formae sanctificantis; sed iuxta Concil. actus charitatis, & contritionis requiritur ad iustificacionem extra Sacramentum, & non negatur à Vazqueo: ergo se habet ad eam per modum dispositionis.

Adde secundò: Nam Concilium praedictum cap. 7. inquit vnicam causam formalem nostrae iustificacionis esse iustitiam inhaerentem, id est, gratiam insulam iuxta cuiuscumque dispositionem

nam, & cooperationem, sed intentio gratiae praecipue attenditur iuxta actum charitatis, & contritionis perfecta: ergo concurrunt iuxta Concilium per modum dispositionis.

Adde tertio: Nam Concilium sess. 14. cap. 4. loquens de contritione sic ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: & in homine post baptismum lapsio ita demum praeparat ad remissionem peccatorum &c.* sed ibi est sermo de contritione perfecta: tum, quia illam distinguit ab attritione disponente ad iustificacionem intra Sacramentum: tum, quia loquitur de contritione charitate formata: ergo non est forma sanctificans, sed dispositio ad iustificacionem.

Et probatur ratione D. Thom. Nam motus ille, quo homo convertitur in Deum, & quo detestatur peccatum, nequit non disponere ad gratiam habitualem, quae est forma sanctificans adhuc in sententia Vazquij; sed perfectissima conversio in Deum fit per actum charitatis, & actus contritionis prout ab attritione distinctus est perfectissima detestatio peccati: ergo uterque actus est dispositio ad iustificacionem. Maior in qua solum potest esse difficultas, est expressa D. Thom. supra quast. 112. art. 2. ad 1. ubi ait: *Preparatio hominis ad gratiam habendam quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae. Et talis operatio est quidem meritoria: gloria; sed duae praedictae operationes sunt simul cum infusione gratiae, & nulla alia: ergo sunt verae dispositiones ad gratiam: quod est praecipuum intentum huius afectionis, quidquid sit, an etiam sint formae sanctificantes inadaequatae, ut vult Vazquez. Pro quo videri debent superius dicta tract. praeced. disp. 2. num. 42. & in hoc tract. dub. 4.*

Solum hic notare oportet hucusque dicta solum procedere iuxta suam Dei providentiam; nam si sermo esset attendenda potentia Dei absoluta, non negamus posse Deum res aliter disponere, itaut homo extra Sacramentum possit iustificari, & emundari a suis peccatis per solum actum charitatis, aut contritionis, quin praecedat alius motus ex parte voluntatis: immo potest iustificari per solum infusionem gratiae sine villo actu ex parte hominis, & adhuc sine vlla virtute infusa. Et si D. Thom. alicubi oppositum videtur insinuare, exponendum est iuxta providentiam ordinariam.

§. II.

Secunda resolutio secundum quaesitum determinans.

82 **D**icendum est secundò actum charitatis & contritionis esse dispositiones physicas, & non tantum morales. Pro

cuius luce nota dispositionem physicam à morali in hoc differre, quòd physica scilicet munus dispositionis exercet, sive effectus sit physicus, sive moralis; moralis vero dicitur illa, quae illud non exequitur, nisi dependenter ab alterius voluntate, hoc est, sollicitando eam, ut effectum producat, quae dispositio ipsa aliquem influxum in illum praestet immediatè: quo pacto meritum dicitur causa moralis gloriae (quae quid physicum est) cum Deus se solo producat gloriam alicuius à meriti bonitate. Econtrà peccatum actuale producens habituale dicitur causa physica, est effectus sit moralis, quia se solo illud producit sine cooperatione, aut causalitate alterius. Quo supposito.

Probatur conclusio ratione: nam illa dispositio est physica, & non tantum moralis, quae per seipsam praestat munus disponendi independentè ab alterius voluntate, sive quod in idem reddit, quae posita subiectum formae est intrinsece dispositum; sed huiusmodi est actus charitatis, & contritionis: ergo sunt dispositiones physicae, & non tantum morales. Maior constat ex praenotabili. Et minor probatur: tum, quia ut docet D. Thom. 1. part. quast. 12. art. 5. *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quae sit supra naturam.* Quae ratione vult Angelicus Doct. ad probandum dari aliquam dispositionem physicam ad vniònem essentiae divinae per modum speciei: ergo etiam ad recipiendam gratiam requiritur aliqua dispositio, quae independentè ab alterius voluntate ad illam disponat; sed nulla aptior potest assignari, quam actus charitatis, & contritionis: ergo isti actus intrinsece disponunt ad gratiam. Tum etiam: nam ille dispositiones ex se, & independentè ab alterius voluntate disponunt ad gratiam, quae ex se coaptant subiectum ad illam, habent necessariam connexionem cum gratia, & oppositionem cum forma opposita: quae ratio calor ut octo ex se est dispositio ad formam ignis: sed actus charitatis, & contritionis imprimis coaptant animam ad receptionem gratiae, cum sint eiusdem ordinis cum illa: habent necessariam connexionem cum ea, cum saltem naturaliter nequeant dari sine ea, & in nostra sententia nec metaphysice, ut probatum manet dub. 4. per totum: Et tandem habent oppositionem cum peccato, quòd est forma opposita gratiae, cum conversio physica ad Deum nequeat non opponi aversioni per peccatum: ergo ex se disponunt ad gratiam. Tum denique: nam actus procedentes à gratia nequeunt disponere ad eam per modum meriti, aut impetrationis (quòd est idem, ac sollicitare voluntatem alterius ad gratiae collationem) ut ex se liquet; sed actus charitatis, & contritionis procedunt à gratia, ut probatum manet loco citato, & constabit amplius assertione sequente: ergo.

Obji-

83 **O**bjicies primo ex Concilio sess. 14. cap. 4. ubi ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, ubi sermo est de contritione perfecta, ut probavimus num. 81. ergo iuxta Concilium contritio haec solum concurrat ad iustificacionem per modum impetrationis; sed huiusmodi concursus est proprius dispositionis moralis: ergo solum est dispositio moralis ad gratiam.*

Ad hanc obiectionem respondetur aliud esse contritionem esse necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, aliud verò quòd contritio impetret ipsam remissionem: primum est verum, quia oratio, cuius proprius concursus est per modum impetrationis, non assequitur gratiam, nisi dependenter à contritione. Secundum verò non docet Concil. Maxime, quia contritio potest esse dispositio physica ad gratiam prout remissiva culpae, & impetrare per modum meriti condonacionem offensae, ut alibi diximus.

84 **O**bjicies secundò: Nam agens infinita virtutis nullam requirit dispositionem in subiecto, nisi ex dignatione ipsius agentis; sed Deus causans gratiam est agens infinita virtutis: ergo ad producendam gratiam in homine non requiritur aliquam dispositionem ex parte illius, nisi ex dignatione divina; sed hoc tantum arguit esse dispositionem moralem: ergo nulla requiritur dispositio physica.

Confirmatur primò: Nam gratia nullam dependentiam ex natura sua dicit ab his dispositionibus, ut liquet in parvulis: ergo non sunt dispositiones physicae. Confirmatur secundò: Nam propterea materia prima indiget dispositionibus physicis ad introductionem formae, quia est indifferens ad plures formas: & in artificialibus propterea requiritur dispositio physica, quia materia est inepta ad introductionem formae artificialis; sed anima imprimis ratione potentiae obedièntialis habet sufficientem aptitudinem ad gratiam; deinde non est in ea indifferens, qualis est in materia ad plures formas, ut ex se constat: ergo non dantur dispositiones physicae ad iustificacionem.

Ad obiectionem respondet D. Thom. supra quast. 112. art. 2. ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd agens infinita virtutis non exigit materiam, vel dispositionem materiae, quasi praesuppositam ex alterius causa actione; sed tamen oportet, quòd secundum conditionem rei causandae in ipsa re causet, & materiam, & dispositionem debitam ad formam. Et similiter ad hoc, quòd Deus gratiam infundat anime, nulla preparatio exigitur, quam ipse non faciat. Ex quibus verbis colligitur, quòd etsi non requiratur ad introductionem gratiae aliqua dispositio, ad quam Deus specialiter non moveat, requiritur tamen attentis haturis rerum,*

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Ad confirmationem respondetur primò cum D. Thom. in praef. art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd pueri non sunt capaces motus liberi arbitrij: & ideo moventur à Deo ad iustitiam per solum informationem animae ipsorum.* Respondetur secundò, quòd parvulus, dum iustificatur, disponitur per virtutes infusas, ut diximus num. 77. Nec opus est, quòd eadem dispositiones reperiantur in omnibus: quinimò oportet esse diversas iuxta capacitates subiecti iuxta illud axioma; vnumquodque recipitur ad modum recipientis. Quae solutio non leviter insinuat à D. Thom. quast. 28. de Veritat. art. 3. ad 5. ubi ait: *Iustificatio secundum suam communem causam inest parvulo, & adulto, scilicet, secundum gratiam: quae tamen recipitur in parvulo, & adulto diversi modo secundum diversam utriusque conditionem. Omne enim, quòd recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis. Et inde est, quòd in adulto recipitur gratia cum usu liberi arbitrij, non autem in parvulo.* Unde cum parvulus tantum fit capax dispositionis habitualis, merito potest affirmari, quòd disponitur per virtutes habituales infusas, licet adultus ob oppositam rationem debeat etiam disponi per actus earum. Adde ad haec cum Serra supra quast. 112. art. 2. & Prado 3. part. quast. 86. dub. 10. num. 14. multa esse, quae in vno dependentiam realem habent à quibusdam dispositionibus, quam non habent in alio: scientia enim ex natura rei dependet in homine à discursu, & non in Angelo: vita etiam in vno homine dependet à tali complexione, & in alio ab alia: tandem mollicies in cera dependet à calore, & non in loto.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd sicut materia est indifferens ad plures formas, ita anima est indifferens ad gratiam, & peccatum; & aliunde maiorem proportionem habet materia cum forma substantiali, quam anima cum gratia. Cum ergo materia debeat physice disponi ad receptionem formae substantialis, non est caput, vnde anima non potest disponi physice ad receptionem gratiae. Videatur D. Thom. loco citato de Veritat. ad 9. argumentum, ubi ita respondet.

85 **O**bjicies tertio: Nam ad veram rationem dispositionis physicae requiritur, quòd connectatur cum forma, ad quam disponit, & quòd recipiatur in eodem subiecto; sed dispositionibus gratiae utraque haec conditio deficit: ergo non sunt dispositiones physicae ad illam. Maior inquit Adversarij, constat in dispositionibus, tam naturalibus, quam artificialibus. Minor verò probatur quoad primam partem: quia positus quibuscumque actibus ex parte nostra potest Deus non conferre gratiam. Quoad secundam evidenter probatur: Nam gratia recipitur in anima, & dispositiones in intellectu,

Ecc 2

&

& voluntate : ergo dispositiones gratia nec connectuntur cum gratia, nec recipiuntur in eodem subiecto.

Ad hanc obiectionem respondetur negando maiorem, quoad utramque partem universaliter sumptam. Nam imprimis quantum ad primam conditionem ibi relatum dispositiones remotæ ad formam ignis v. g. calor ut duo, vt tres &c. sunt dispositiones physica, & non connectuntur cum forma ignis. Et si calor ut octo connectitur, etiam actus charitatis, & contritionis connectuntur non solum connaturaliter, sed etiam essentialiter, proindeque falsum est, quod Deus positus his actibus possit non conferre gratiam. Deinde forma substantialis recipitur in sola materia prima, & dispositiones sive remotæ, sive ultimæ recipiuntur in toto composito: quia vt inquit D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 3. quæstionum. 3. ad 3. *Non oportet in eodem esse dispositionem, & perfectionem in rebus ad invicem ordinatis, & dispositionem in rebus ad invicem ordinatis, sed sufficit, quod dispositio recipiatur mediate in subiecto, vbi recipitur forma, ad quam disponit.* Videatur Prado loco relato num. 15.

86 Obijcies quartò: Nam dispositio physica non solum est dispositio in fieri, sed etiam in conservatione formæ, vt liquet in naturalibus; sed actus charitatis, & contritionis non requiruntur ad conservationem gratiæ, vt experientia constat: ergo non sunt dispositiones physica.

Confirmatur: Nam si actus charitatis, aut contritionis esset ultima dispositio physica ad gratiam, sequeretur hominem esse causam principalem gratiæ: nam qui producit ultimam dispositionem physicam alicuius formæ, producit etiam ipsam formam; sed hoc nequit admitti propter dicta tract. præc. disp. 2. dub. 9. ergo.

Ad obiectionem respondet D. Thom. in præf. art. 3. ad 3. his verbis: *Dicendum, quod in infusione gratia iustificantis est quædam transmutatio anime humana, & ideo requiritur motus proprius anime, vt anima moveatur secundum modum suum. Sed conservatio gratia est absque transmutatione. Unde non requiritur aliquis motus ex parte anime, sed sola continuatio influxus divini.* Solutio rite intellecta est clara: nam dispositiones physica ad gratiam, quæ in actibus consistunt, solum requiruntur, vt gratia voluntarie recipiatur: ad conservationem tamen illius non requiritur motus voluntarius, sed satis est, quod non ponatur aliquis obex. Nec in naturalibus est semper verum dispositionem, quæ requiritur ad fieri formæ, requiri etiam ad conservationem illius: calor enim, qui requiritur ad introductionem formæ carbonis in materia ligni non est necessarius ad talis formæ conservationem: & in generatione animalis aliqua dif-

positio requiritur ad fieri, quæ non requiritur ad conservari. Videatur D. Thom. quæst. 28. ad Verit. art. 3. ad 12. argument.

Ad confirmationem multipliciter respondet Noster Thomista, quorum solutiones possunt videri apud Prado loco citato §. 4. per totum. Vera, genuina, & facilis solutio est, quod causa producens ultimam dispositionem antecedentem infallibiliter connexam cum forma producit ipsam formam, sed hoc pacto actus charitatis, & contritionis non est dispositio physica ad gratiam, sed concomitans, nec est aliquis actus, qui per modum dispositionis prævia connectatur cum gratia. De dispositione consequenti, cum qua infallibiliter coæditur forma, solum tenet illud principium assumptum, quando dispositio consistit in aliquo habituali, scilicet verò quando consistit in actibus liberis, & vitalibus, vt in præsentia contingit. Videatur, quæ diximus tract. præc. disp. 2. num. 95.

87 Obijcies ultimò: Nam si actus charitatis, aut contritionis esset dispositio physica ad gratiam, non posset procedere à gratia: quia est intellectu difficile, quomodo id, quod procedit à gratia, disponat ad eam; sed hoc est falsum, vt late probavimus dub. 4. ergo non est dispositio physica. Hæc obiectio probat actum charitatis non esse dispositionem adhuc moralem, quia hæc posteriori titulo debet precedere gratiam, sicut meritum præmium. Sed pro eius luce fit.

§. III.

Tertia resolutio tertio quæsto satisfaciens.

88 **D**icendum est tertio actum charitatis, & contritionis, qui sunt ultimæ dispositiones ad gratiam, procedere efficienter ab ea. Ita nobiliores Thomista Caietanus, Ferrara, vterque Sotus, Medina, Alvarez, Martinez, Serra, Gonet, Serna in operibus Ferre, NN. Salmant. in præf. disp. 3. dub. 3. & 4. & plures alij, quibus suffragantur ex Societate Valentia, Vazquez, Torres, & alij contra Scotistas, Nominales, Sarniarum cum pluribus Recentioribus Societatis, necnon ex Thomistis contra Capreol. Zumel. Curiel. Montefin. Arauxo, Ioann. à S. Thoma, & alios.

Hæc conclusio secundum se sumpta nostro iudicio parum difficultatis habet, si vera sunt, quæ tradidimus dub. 4. à num. 37. vsque ad num. 46. vbi probavimus actum charitatis, & contritionis essentialiter effective dependere à gratia. Sed revera quæstio præsens independenter ab ea doctrina exagitanda est: admissio enim charitatis actum divinitus, seu connaturaliter posse elici ab auxilio distincto à gratia ha-

Dub. VI. An impius, vt iustificetur, debeat disponi per aliquos &c?

habituali, & supposito apud omnes connaturalius procedet à gratia medio habitu charitatis, quam ab auxilio, si prædictus actus sumatur secundum se, adhuc restat inquirendi locus, verum ex suppositione, quod re ipsa disponat ad gratiam, sit impedimentum ad hoc, vt procedat effective ab ea in illo instanti, in quo disponit, hoc est, in instanti iustificationis? Et nostra resolutio, vt iacet, est, quod procedit effective à gratia non obitanti, quod disponat ad eam.

Et probatur primo nonnullis testimonijs D. Thom. licet possint afferri innumera: nam in præf. art. 8. docet, quod in iustificatione impij ordine natura prior est infusio gratiæ, quam motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum; sed motus, quo liberum arbitrium movetur in Deum, est actus charitatis, & quo movetur in peccatum, est actus contritionis: ergo secundum D. Thom. hi actus sunt posteriores infusione gratiæ.

Idem tradit 4. ad Annib. dist. 17. quæst. 1. art. 2. vbi ait: *Dicendum: quod in iustificatione impij hæc quator, scilicet, motus liberi arbitrij, contritio, infusio gratia, & remissio culpa simul sunt tempore: non simul natura: :: Unde secundum diversum genus causæ se unum istorum est prius alio, & converso &c.*

Rursus in præf. art. 7. inquit: *Tota iustificatio impij originaliter consistit in gratia infusione. Per eam enim, & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur.* Et ne nobis relinqueretur aliquis dubitandi locus circa gratiam habitualem, & motum liberi arbitrij, quatenus est dispositio, in præf. art. 8. ad 2. hæc habet verba: *Dispositio subiecti præcedit susceptionem forma ordine natura: sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam subiectum disponitur: & ideo motus liberi arbitrij ordine natura præcedit consecutionem gratia, sequitur autem gratia infusio-nem.*

89 His testimonijs respondet Contenton tom. 5. fol. mlii 507. Angelicum Præcep. non dixisse dispositionem formæ sequi actionem formæ, sed sequi actionem agentis, vt constat in solutione proxime relata ad 2. quo nihil verius, sed contra nos, inquit, infirmius: siquidem ad summum probat subsequi ad actionem agentis dispositionem causantis media infusione principij proportionati, nempe, auxiliij à gratia habituali distincti. Ex quo non infertur sequi actionem gratiæ habitualis, quod necessarium erat, vt dependeret ab ea ingenere causæ efficientis.

Verum hæc evasio indigna est viro docto, & callenti principia Thomistarum: siquidem in horum communi placito radix, à qua proprietates effective dimanant (quo pacto asserimus

contritionem, & actum charitatis procedere à gratia) non influit in eas media actione, sed præcisè dimanatio, quod principium hauserunt ex suo Angelico Magill. ergo Angelicus Doct. talem efficientiam statuens non debuit dicere dispositiones sequi actionem formæ, quæ impossibilis est, sed sequi actionem agentis terminatam ad formam, tanquam ad terminum primarium, & se extendentem ad dispositiones tanquam ad terminum secundarium.

Rursus Angelicus Præceptor pro eodem reputat dispositiones sequi actionem agentis, ac sequi infusionem gratiæ, vt evidenter constabit recolenti profunde corpus, & responsionem art. 8. citati, maxime illa verba: *In quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis: secundum autem est dispositio materia, sive motus ipsius mobilis: :: ipsa igitur Dei moventis motio (en actionem agentis) est gratia infusio, vt dictum est supra* refert se ad art. 6. vbi loquutus est de gratia habituali: ergo dispositio est terminus actionis primario terminata ad gratiam habitualem. Maxime, quia D. Thom. totus est in explicando dependentias mutuas inter dispositiones, & gratiam causantem formaliter remissionem culpæ, vt evidenter constat præcipue in loco citato ad Annib. qui labor inanis esset, si dispositiones dependenter ab alia gratia, quam habituali.

90 Respondet secundo citatus Author; Angelicum Mag. asseruisse citato art. 7. dispositiones esse effective ab illa gratia, à qua tota iustificatio dependet originaliter; hæc autem est gratia auxilians docente Trident. sess. 6. cap. 6. negotium iustificationis ordiri à gratia excitante, & adiuvante.

Sed hæc evasio haud melior est præcedenti vtpote non deducta ex visceribus ipsius textus, vt illum legenti constabit: siquidem toto illo art. docet in ea forma iustificationem originaliter consistere, quæ à Deo infunditur in instanti iustificationis, & ad quam requiruntur dispositiones, quas ipse, vtpote agens infinitæ virtutis potest ponere in instanti; sed hæc forma est gratia habitualis: ergo. Adde: nam loquens in respons. ad 1. de dispositionibus à gratia excitante elicitis docet non esse de substantia iustificationis: ergo in hoc articulo præcisè sermonem instituit de eis, quæ pertinent ad substantiam iustificationis; sed hoc modo considerata originaliter consistit in gratia habituali, cum ab ea ortum ducant sanctificatio hominis, motus liberi arbitrij accedentis ad Deum, volentis etiam destruere satisfactionem peccatum, & remissio ipsius, vt effectus secundarius gratiæ habitualis: ergo de hac loquitur.

91 Tertio potest responderi cum Lisbonensi 3. part. quæst. 1. art. 3. §. tertio con-

tritionem posse sumi dupliciter: vel ut est dispositio, & hoc modo gratiam praecedat, sicutque a libero arbitrio per auxillium elevato: vel ut meritoria, & hoc pacto dependet effectivè à gratia. Nec inconveniens datur in eo, quod primo modo sit dispositio gratiae: nam nihil nobis favet ut liquet in actibus fidei, spei, & attritionis usque ad instantem iustificacionis pervenientibus, qui ut formati eliciuntur à gratia, secus vero secundum se, seu ut dispositiones.

Verum laudatus Magister, etsi nulli in calenda mente Angel. Praecept. secundus, hac vice ab ea defecit. Tum, quia Angel. Doct. quaest. 28. de Verit. art. 8. ex quo praedictus Magister suam hausit distinctionem, non aliam prioritatem, & posterioritatem inter contritionem, & gratiam agnoscit, quam naturae, quam explicat exemplo accidentium dependentium à forma, ad quam disponunt, ut videre est in fine corporis: & similiter calor is ut octo concurrentis ad expulsionem formae aquae, ut refert ad 7. eiusdem art. constat autem huiusmodi accidentia effectivè dimanare à forma, ad quam disponunt, neque assignabile est aliud principium eorum subaquacumque formalitate considerentur, & Libonienis defendit quaest. 1. de Generat. art. 5. conc. 1. ergo violentur, & contra D. Thom. aliter independentia contritionis à gratia theologizatur.

Tum etiam: nam nullibi constat ex D. Thom. actum charitatis, & contritionis habere in se aliquam formalitatem, quae non sit meritoria; sed ipse iam concedit, contritionem prout meritoriam esse effectivè à gratia: ergo adaequate est ab illa. Tum denique: Ipse enim loco citato tenet contritionem, prout est à libero arbitrio, imperfectam iustitiam fundare ad Deum in ordine ad remissionem, & satisfactionem pro offensa, esseque opus virtutis poenitentiae; sed expressiones istae nequeunt intelligi non procedentes à gratia: quia expressio actus ut satisfactoria est etiam meritoria, & ut docet D. Thom. 3. part. quaest. 86. art. 6. ad 1. & 3. actus virtutis poenitentiae talis conditionis est, ut sine eo non possit fieri remissio culpa, quae est effectus inseparabilis gratiae: ergo idem, quod prius.

Quod autem distinctio illa, quam Libonienis introducit, actus prout à libero arbitrio, & prout à gratia, sit pro nobis, ostenditur ex Ang. Praecept. adhibitis ijs, quae prae laudatus Magister docet, scilicet, quod quando Angel. Doctor docet actum prout à libero arbitrio esse dispositionem gratiae, non loquitur de libero arbitrio nude accepto, sed elevato auxilio supernaturali, aliàs esset actus pure naturalis, & non esset dispositio ad gratiam: qua ergo licentia exponitur Angel. Doct. de auxilio actuali transeuntis, quod nullibi insinuat, debemus ve-

rosimiliter sentire praedictum auxillium esse gratiam habitualem.

Exempla fidei, spei, & attritionis, quibus praedicta evasio fovebatur, sunt pro nobis. Quod ut fiat evidentiùs, nota actus hos posse sumi, & secundum se, quo pacto à gratia praecindunt, & possunt in peccatore reperiri; & ut meritorios, in qua acceptioe metaphysice procedunt à gratia: & in hac vltima replicatione, & non in alia possunt esse dispositiones comitantes iustificacionem, proindeque philosophandum est de illis eodem modo, ac de contritione, & actu charitatis, quae sunt vltimae dispositiones secundam se consideratae.

§. IV.

Rationes pro procedenti resolutione.

92 **E**T probatur ratione: Nam gratia habitualis praecedat pro aliquo priori naturae actum charitatis elicitem in instanti iustificacionis: ergo in instanti iustificacionis actus charitatis procedit effectivè à gratia. Consequentia conceditur ab adversarijs. Et antecedens probatur: nam prius est, quod Deus simpliciter diligit hominem, quam quod homo diligit simpliciter Deum, iuxta illud 1. Ioann. 4. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos. Et infra: Nos ergo diligimus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos; sed per charitatem, qua diligit nos, infundit gratiam habitualem, ut probat D. Thom. supra, art. 2. & per actum charitatis nos simpliciter diligimus Deum: ergo gratia habitualis praecedat pro aliquo priori naturae actum charitatis elicitem in instanti iustificacionis.

93 Respondent adversarij, praedictum testimonium non intelligi de dilectione infundente gratiam, sed de dilectione decernente incarnationem, ut constat ex antecedentibus, & consequentibus.

Contra est primò: Nam Ioannes loquitur non solum de dilectione Dei, qua filium suum misit in mundum, sed etiam de dilectione charitatis, qua diligit nos: ideoque ait, in hoc est charitas. ¶ Secundo: Nam ita loquitur de dilectione Dei mittente filium suum, ut vivamus per ipsum vita gratiae, & remittat nobis peccata nostra; sed haec dilectio causat in nobis gratiam, licet medio merito, & satisfactione Christi: ergo etiam loquitur de dilectione infundente gratiam. ¶ Tertio: Nam D. August. cap. 26. contra Pelagianos sic ait: Ut enim acciperemus dilectionem, qua diligereamus, dilecti sumus, cum eam nondum haberemus. Hoc Ioannes Apost. apertissime dicit: non quod nos diligereamus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.

Opti-

Optime omnino, atque verissime: non enim haberemus, unde illum diligereamus, nisi hoc ab illo cum prior nos diligeret, sumeremus. Ac per hoc gratiam Dei; qua caritas diffunditur per spiritum-sanctum, qui datus est nobis, sic constitatur, qui vult confiteri veraciter, et omnino nihil boni, quod ad veram iustitiam pertinet, fieri posse non dubitet. Ex quo probat contra Pelagium, gratiam non dari nobis ex meritis; sed gratia, qua Spiritus-sanctus infunditur cordibus nostris, est habitualis, ut probat D. Thom. 1. part. quaest. 43. art. 3. ergo iuxta Apost. & D. August. prius nos diligit Deus infundens gratiam, quam nos eum diligamus per charitatem.

Quartò: Nam Div. Greg. homil. 30. in Evangel. ait: Qui ergo mente integra Deum desiderat, perfectò iam habet, quem amat: nec enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet; sed Deus possidet per gratiam habitualem: ergo prius Deus infundit gratiam, quam nos Deum simpliciter diligamus.

Quintò, & vltimò, per quod praecaveretur recurus ad gratiam auxiliantem: Nam D. Thom. in caput 14. Ioann. lect. 4. exponens illa verba, Si diligitis me, mandata mea servate, sic ait: Nullus potest Deum diligere, nisi habeat Spiritum-sanctum. Non enim nos praevimus gratiam Dei, sed ipse praevenerit nos: ipse enim prior dilexit nos, ut dicitur 1. Ioann. 4. sed Spiritus-sanctus non dicitur inhabitare nisi per gratiam habitualem, ut docet Angel. Doct. & Trid. sess. 14. cap. 4. ergo idem, quod prius.

94 Sed ut praedicta ratio magis roboretur, obijcies nonnulla testimonia sacrae Scripturae, in quibus insinuat prius nos diligere Deum: Nam Ioann. 14. ait Christus: Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Et cap. 16. Pater amat vos, quia vos me amastis. Et Luca 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.

Ad primum testimonium responderetur cum D. August. tract. 75. exponente praedicta verba, & D. Thom. ibi lect. 4. Christum Dominum loqui ibi non de dilectione producente gratiam, sed de dilectione qua Deus manifestatur per visionem beatam: & propterea sacer textus adiecit: ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et hoc modo conciliat uterque Doct. hunc locum cum alio desumpto ex epist. canonica: & si eorum expositio attente legatur, confirmat nostram rationem. Ad secundum responderetur etiam cum Div. August. tract. 102. in Ioann. ubi movet praesentem difficultatem his verbis: Ideo amat Deus, quia nos amamus; an potius, quia ille amat, ideo nos amamus? Ex epistola sua evangelica idem

respondet: nos diligimus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Unde D. Thom. ibi lect. 3. exponens praedictum locum, inquit, quod Pater amat nos amore privilegiato, quo amat sanctos; non quia amor noster sit causa, ut Pater nos diligit, sed quia est signum, quod Pater amat nos. Et sic eorum expositio roborat etiam nostram rationem.

Ad tertium potest eodem modo responderi, videlicet, quod ly quoniam non denotat causam, sed signum. Vel ly quoniam significat causam consequentem, non vero causam consequentis, ut in simili exponit Doct. Ang. in 1. part. quaest. 14. art. 8. ad 1. ¶ Ad quartum responderetur, quod illa verba convertimini ad me intelliguntur de conversione imperfecta ad Deum, qua peccator cum auxilio actuali facit totum, quod in se est, ad consequendam gratiam. Sic perpetuo exponit D. Thom.

Adde, ex his omnibus testimonijs solum colligi dilectionem nostram esse in genere causae dispositivae, & secundum quid priorem dilectione Dei ex parte termini, qui est gratia; hoc autem non obstat, ut Deus absolute simpliciter prius nos diligit.

95 Probatur ulterius ratione: Nam vltimae dispositio ad iustificacionem est meritoria gloria, ut expresse docet D. Thom. quaest. praec. art. 2. ad 1. sed operatio meritoria gloriae effectivè procedit à gratia: ergo vltima dispositio ad iustificacionem effectivè procedit à gratia. Quae ratio iam manet expressa supra num. 41.

Huic rationi missis alijs solutionibus (quae disp. sequenti examinandae sunt) occurrer cum Ioanne à S. Thom. ad actum meritorium satis esse, quod informetur per gratiam in eodem instanti existentem, quatenus cum ea vnitur per modum termini, seu formae ad quam disponit.

Contra est: Nam ut actus sit meritorius vitae aeternae, debet esse formatus per gratiam, ut supponit praedicta evasio; sed actus nequit esse formatus per gratiam, nisi procedat effectivè ab ea: ergo ut actus charitatis sit meritorius vitae aeternae, non sufficit, quod in eodem instanti coniungatur cum gratia. Minor probatur tum quia, ut inquit D. Thom. in 4. dist. 17. quaest. 2. art. 1. quaest. unc. 3. ad 2. Quod materia essentia non habet originem à forma, sicut actus ab habitu. Unde non est inconveniens materiam informari ab aliqua forma de novo, qua prius non informabatur. Sed hoc de actu est impossibile: sicut impossibile est, quod aliquod numero idem oriatur à principio, à quo prius non oriabatur, quia res tantum in esse procedit. In quibus clare docet, quod actus non potest fieri formatus à gratia, nisi procedat ab ea effectivè. Tum etiam: Nam actus nequit formatus esse per gratiam, nisi saltem quoad modum formationis procedat ab ea: nam, ut ita

perpetuo D. Thom. habitibus gratia, & charitatis, sicut & alijs non meremur, nec demeremur, nisi illis utamur; sed homo non vitur gratia, & charitate, nisi in ordine ad actus effectiue ab eis procedentes, vt ex se liquet: ergo nequit esse formatus per gratiam, nisi ab ea procedat.

Confirmatur hoc, & magis explicatur: Nam actus vt formatus nequit procedere à gratia, nisi in instanti, in quo elicitur, procedat à gratia quoad substantiam; sed iuxta aduersarios actus charitatis primò elicitus in instanti iustificacionis non procedit quoad substantiam à gratia: ergo nec vt formatus procedit à gratia, vel, vt melius loquamur, nequit formari per eam. Maior probatur: nam quando aliquis actus simul producitur cum modo, impossibile est, quod modus terminet per se actionem, sed influxus agentis prius terminatur ad substantiam actus saltem vt fundamentum modi, & secundariò terminatur ad modum iuxta dicta tract. 11. disp. 1. num. 27. ergo in instanti iustificacionis, vel actus charitatis procedit quoad substantiam à gratia, vel nullus est modus formationis, qui ab ea procedat.

Nec oppositum constat in actu fidei, & attritionis: Nam si hi actus formaliter perseuerant vsque ad instantis iustificacionis inclusive, etiam quoad substantiam procedunt à gratia: siquidem omnis actus supernaturalis vitalis procedit à gratia, dum quis est iustificatus, vt omnes concedunt, saltem post primum instantis iustificacionis, ergo etiam in primo instanti iustificacionis actus fidei, & attritionis debet procedere à gratia. Maxime: quia nulla potentia, vel habitus influunt in actus supernaturales in instanti iustificacionis, nisi prout habitualiter eleuantur in eodem instanti per quoddam participium charitatis, ita vt per eundem influxum actus concurrat ad substantiam operationis, & ad formationem illius. *Adde*: Nam licet actus fidei, & attritionis solum procederent à gratia vt formati, & non quoad substantiam, plus aliquid tribuendum est actui charitatis, qui essentialiter, & ex sua specie habet esse meritum, cum sit ratio formandi alios actus: ergo si vt formatus procedit à gratia, etiam quoad substantiam debet ab ea procedere.

96. Ultimò probatur conclusio ratione: Nam Christus Dominus se disposuit per feruentissimum actum charitatis ad sanctificationem per gratiam habitualemente in primo instanti suae conceptionis; sed huiusmodi actus dependebat effectiue à gratia: ergo per actum procedentem à gratia potest quis se disponere ad ipsam gratiam. Maior est D. Thom. 3. part. quaest. 34. art. 3. Minor non minus constat ex Div. Thom. ibidem quaest. 7. art. 1. vbi docet Christum Dominum indiguisse gratia habituali, vt eliceret

saltem connaturaliter, & perfecte suas operationes supernaturales maxime actum charitatis, cuius principium, saltem connaturalius, est gratia habitualis cum habitu charitatis in omnium sententia.

Et confirmatur destruendo fundamentum oppositae sententiae: Siquidem non repugnat effectum in genere causae efficientis formae esse priorem illa in genere causae dispositivae: ergo optime componi valet, quod actus charitatis, & contritionis disponant ad gratiam, & effectiue procedant ab ea. Antecedens probatur in calore vt octo, qui effectiue dimanat à forma ignis secundum suam viciniam differentiam, & disponit ad eam eodem modo sumptam, vt concedunt plures ex aduersarijs praesertim Ioannes à S. Thoma quaest. 1. de Generat. art. 7. conclus. 2. & nos supponimus cum NN. Complut. abbrev. de Generat. disp. 2. quaest. 7. Tum etiam: nam ingressus aeris apertis fenestram est causa apertionis illius: & tamen apertio fenestrae est dispositio: vt aer ingreditur: ergo idem, quod prius. Tum denique: nam non minus repugnat, quod aliquid sit effectus alterius in genere causae efficientis, & simul causa illius in genere causae materialis, quam quod sit causa in genere causae efficientis, & effectus in genere causae dispositivae; sed primò concedit Ioannes à S. Thoma lib. de Generat. quaest. 1. art. 5. asserens, quod generatio substantialis recipitur in toto composito, & Suarez cum ceteris Socijs asserens, quod actio creativa recipitur in termino creato: ergo non debent negare, si consequenter procedant, quod aliquid sit dispositio alterius, & effectiue procedat ab illo.

§. V.

Opinionis contrariae fundamenta.

97. Primò solent arguere aduersarij ab auctoritate sacrae Scripturae, sed ad illud satis constat num. 94. Igitur.

Arguitur primò ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. vbi non designat gratiam habitualemente, à qua procedunt dispositiones ipsius gratiae, sed gratiam praeuenientem, & excitantem, & alia huiusmodi, quae solum significant gratiam actualemente: ergo sentit, nullam dispositionem procedere à gratia habituali.

Et confirmatur: Nam ibidem cap. 7. definit, quod homo, dum iustificatur, recipit gratiam habitualemente secundum propriam illius dispositionem, & cooperationem; sed si gratia habitualis esset causa efficiens dispositionis, potius ista conferretur secundum mensuram gratiae, quam gratia secundum propriam dispositionem, cum haec esset prior simpliciter dispositione: ergo.

Ad

Ad hoc argumentum multipliciter respondent Sctatores nostrae sententiae. Primo respondetur cum illis, quod Concilium in illa sess. 6. solum loquitur de dispositionibus antecedentibus, de quibus verum est non procedere à gratia habituali. Quae expositio fundatur non leuiter in ipso Concilio: nam cap. 5. citato dicit exordium nostrae iustificacionis desumi à gratia vocante, & praeueniente, quae tantum concurrat ad actus disponentes remote ad iustificacionem. Et licet cap. 7. dicat, iustificacio consequitur hanc dispositionem, potest intelligi de consequentia remota, vel de proxima intra Sacramentum. Secundò respondetur: dato, quod loquatur Concil. de dispositione vltima extra Sacramentum, nomine gratiae praeuenientis, moventis, & cooperantis comprehendit gratiam habitualemente, vt docet D. Thom. supra quaest. 111. art. 2. & 3. & propterea art. 7. huius quaestiois ait, quod tota iustificacio impij originaliter consistit in gratia infusione. Per eam enim, & liberum arbitrium moeatur, & culpa remittitur, & certum est culpam non remitti, nisi per gratiam habitualemente.

Ad confirmationem respondetur nullum esse inconueniens in eo, quod gratia vt voluntarie consequuta detur nobis secundum propriam dispositionem, & quod vt data, & infusa à Deo detur secundum mensuram, & determinationem divinae voluntatis, vt satis exprimit Concilium in illis verbis: *Iustificati in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus parititur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Et ita in diverso genere causae gratia potest dari iuxta mensuram dispositionis, & dispositio iuxta mensuram gratiae.

98. Arguitur secundò ex D. Thom. praecipue ex quaest. 28. de Veritate art. 8. vbi ait: *Si gratia per actum contritionis, & fidei formatae remissionem culpa causat, causabit eam per modum causae efficientis, quod esse non potest: nam causa effectiue destruens aliquid prius ponitur in esse, quam hoc, quod destruit, sit in non esse: non enim ageret in eius destructionem, quod iam non est. Unde sequeretur, quod gratia prius esset in anima, quam culpa esset remissa, quod est impossibile. Unde patet, quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpa, sed per informationem subiecti, quae importatur per gratia infusionem.* Ex quibus verbis hoc inuicem argumentum, vt loquitur Lisbonensis, sumitur contra sententiam: nam si contritio vt dispositio vltima procedit effectiue à gratia habituali, & illa deservit ad expellendum peccatum, gratia esset causa remissionis culpa per operationem à se elicita; sed haec propositio directe

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

opponitur doctrinae Div. Thom. ergo contritio non procedit à gratia habituali.

Hoc argumentum in primis retorquendum est contra arguentem, vt videat vim eius adeo invincibilem. Tum quia peccatum actuale in eius sententia effectiue destruit gratiam, & non concedit peccatum actuale esse simul pro aliquo instanti cum gratia, vt contra Lorcan arguunt communiter Theologi. Tum quia actus contritionis procedens ab auxilio in eius sententia effectiue destruit peccatum, & tamen non concedit, quod auxilium saltem efficax est in aliquo instanti cum peccato, siquidem in eodem instanti ponitur auxilium, contritio, gratia habitualis, & expulsio peccati. Tum denique: nam iuxta D. Thom. 3. part. quaest. 85. art. 2. ad 3. *Poenitentia expellit omne peccatum effectiue in quantum operatur ad destructionem peccati prout est remissibile ex diuina gratia homine cooperante, quam doctrinam omnis legitimus D. Thom. discipulus debet admittere in sensu à se explicato in corpor. art. & tamen nullus concedet poenitentiae virtutem simul existere cum peccato, & offensa pro aliquo instanti. Adde: nam Sol effectiue expellit tenebras in nullo instanti existens cum illis.*

Sensus ergo D. Thom. est quod eo gratia effectiue non expellit peccatum, quia potest diuinitus communicari sine aliqua operatione: nam si effectiue, & media operatione, & non aliter destrueret peccatum, consequens eratur, quod posset coexistere cum peccato, cum essentialiter possit dari sine vlla operatione. Vel potest dici, quod licet ratio illa D. Thom. absolute non esset efficax; erat efficax contra Auxthores, contra quos arguebat: existimabant enim ex vna parte, quod gratia destruebat peccatum effectiue media contritione, & ex alia, quod gratia in primo instanti, in quo existit, non potest operari, ex quo inferebant, quod Christus non potuit moreri in primo instanti suae conceptionis, vt refert D. Thom. 3. dist. 18. quaest. 1. art. 3. & in his suppositionibus est efficax ratio Div. Thom. secus verò contra nos asserentes, quod gratia expellit peccatum formaliter, vel effectiue sicut lux expellit tenebras.

99. Arguitur tertio: Nam si gratia esset causa efficiens suae vltimae dispositionis intelligeretur praexistens ante illam, sed hoc repugnat: ergo repugnat, quod vltima dispositio ad gratiam procedat effectiue ab ea. Minor probatur: nam vltima dispositio ad gratiam existit antecedenter ad gratiam: ergo repugnat, quod gratia intelligatur praexistens ante suam vltimam dispositionem. Antecedens probatur: nam vltima dispositio intelligitur vt disponens subiectum ad ad receptionem formae; sed in illo signo nequit intelligi vt preparans, nisi vt existens

Ergo ergo

ergo vltima dispositio ad gratiam existit antecedenter ad illam.

Hoc argumentum (quod indissolubile vocat Suarez) apud nos caret omni difficultate, si conferatur cum calore vt octo, qui ita est dispositio vltima ad formam ignis secundum suam vltimam differentiam, vt etiam procedat ab ea secundum eandem differentiam sumptam. Sed pro eius expedita solutione suppositis his, quae docent NN. Complur. abbrev. in lib. Physic. disp. 15. quæst. 2. circa mutuum causarum dependentiam in diuerso genere causæ, inter quas non datur prioritas in quo, sed tantum à quo, vt bene notarunt prædicti PP. ibidem disp. 8. quæst. 2. quamvis absolute, & simpliciter possit affirmari, quod vna sit prior alia, itaut causa finalis sit simpliciter prior alijs, deinde efficiens, postea materialis receptiva, ad quam succedit formalis, & tandem dispositiva, adhuc pro materia præsentis aliqua prænotanda sunt.

Nota ergo primò, quòd eo ipso quod gratia, & dispositio ad invicem sint causæ, in qualibet ex illis debent distingui duæ formalitates inadæquate, altera secundum quam sit causa in vno genere causæ, & altera secundum quam sit effectus in alio genere, itaut quando sumitur vt causa non intelligatur formalitas secundum quam est effectus, alias daretur transitus de vno genere causæ ad aliud. Sed in his formalitatibus assignandis hoc opus, hic labor. Pro quo.

Nota secundò cum NN. Salmant. in hoc tract. disp. 3. à num. 125. gratiam posse considerari dupliciter: & ex parte agentis, & ex parte passi, seu mobilis. Si enim consideratur ex parte agentis, idest, ex parte Dei nos iustificantis in genere causæ efficientis, sic gratia præcedit motum liberi arbitrij in genere causæ efficientis. Sed si consideretur ex parte passi, seu mobilis, sic motus liberi arbitrij præcedit gratiam in genere causæ dispositivæ. Quod breuiter docet D. Thom. quæst. 28. de Verit. art. 8. ad 6. argument. sed contra his verbis: *Illud, quod est ex parte dantis, est prius formaliter, sed quod est ex parte recipientis, est prius materialiter.* Quod est prius formaliter, etiam est prius in genere causæ efficientis, & finalis, vt ait D. Thom. quæst. 28. de Verit. art. 7. & in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. Sed pro intelligendis his, quæ docet D. Thom. in præf. art. 6. & art. 8. ad 1.

Nota tertio, non solum causam præcedere effectum in suo genere causæ, sed etiam quidquid mediat inter causam, & effectum, & se tenet ex parte causæ, & propterea inter hæc quatuor, infusionem gratiæ, motum liberi arbitrij in Deum, & motum liberi arbitrij in peccatum, & remissionem diuersum ordinem col-

Disp. I. de iustificatione impij.

locat in genere causæ efficientis, ac in genere causæ materialis. Nam si considerentur in genere causæ efficientis, seu ex parte moventis, naturalis ordine (inquit D. Thom. in præf. art. 8.) *primum iustificatione est gratia infusio, secundum est motus liberi arbitrij in Deum, tertium verò est motus liberi arbitrij in peccatum: quartum vero, & vltimum est remissio culpæ.* Sed in genere causæ materialis, vel ex parte passi oppositus est ordo: nam primum est remotio culpæ, secundum motus liberi arbitrij in peccatum, tertium est motus liberi arbitrij in Deum, & quartum, seu vltimum receptio gratiæ, vt colligitur ex Div. Thom. ibidem ad 1. Et idem accidit in naturalibus quando generatio vnus est corruptio alterius, vt videtur potest in D. Thom. loco proxime relato ex 4. Senec. Sed non facile apparet, qualiter remissio culpæ sit vitium in genere causæ efficientis, alias actus charitatis, & contritionis in prædicto genere præcederet remissionem culpæ, quod nos, & omnes sectatores nostræ sententiæ perpetuo negamus. Pro cuius tamen luce.

Nota quartò, & vitio, infusionem gratiæ, & remissionem culpæ posse bitariam accipi: vel secundum essentialia, vel vt conaturaliter, & liberè recepta. Si primo modo accipitur, nec infusio gratiæ, nec remissio culpæ dependet ab actibus; bene verò posteriori modo considerata. Item remissio culpæ potest accipi dupliciter: vel prout dicit expulsiorem maculæ, vel prout denotat remissionem offensæ. Priori modo prior est remissio culpæ in genere causæ efficientis, quam actus dispositivè; licet posteriori modo considerata remissio culpæ, ipse actus dispositivus sit prior in genere causæ moralis efficientis, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 85. art. 2. His prælibatis.

Respondetur ad argument. concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd licet existentia requiratur ad hoc, vt qualibet causa causet suum effectum, aliter requiritur ad causam efficientem, & aliter ad causam materialem: nam ad causam efficientem requiritur pro formali, & reduplicative, sed ad causam materialem tantum specificative, idest sufficit, quòd existat pro toto instanti reali. Et ratio differentie desumitur ex natura vtriusque causæ: nam causa efficiens operatur suum effectum inquantum est in actu, ideoque existentia debet se tenere formaliter ex parte causæ efficientis saltem per modum conditionis. Causa verò materialis non causat suum effectum prout est in actu existentis, ideoque sufficit, quòd reverà existat in toto instanti reali. Et hac ratione actus contritionis, & charitatis ita disponunt ad gratiæ receptionem, quòd non petunt præintelligi existentes ante illam. Quæ solutio si ritè perpendatur, & conferatur cum

Dub. VI. An impius, vt iustificetur, debeat disponi per aliquos &c.

cum prædictis notabilibus, & cum his quæ in generatione substantiali contingunt, facile evanescent plures obiectiones Francisci Suarez, quas brevitate gratia supprimimus.

100 Arguitur vltimo: Nam quando augetur habitus charitatis medio actu, actus vt intensus non provenit effectivè ab habitu vt intenso: ergo nec actus quoad substantialiam provenit effectivè ab habitu charitatis, nec à gratia. ¶ Et confirmatur. Nam posita contritione est nova gratia infusio gratiæ habitualis, & remissio culpæ: ergo non procedit effectivè ab ea.

Ad argumentum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia actus charitatis vt intensus est dispositio simul & meritum augmenti habitus; quòd non potest esse, si effectivè ab illo procederet. Actus verò charitatis est ex vna parte meritorius; & ex alia nequit esse meritorius gratiæ, & hac ratione petit procedere à gratia. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd, posita contritione, non est novum beneficium infusio gratiæ, quasi requiratur specialis actio Dei, sed eadem actione producitur gratia, & vltima dispositio.

DUBIUM I. Appendix.

Utrum peccatum mortale in statu natura pura remitti possit absque infusione gratiæ habitualis?

Statum natura pura, vt descripsimus tract. præced. disp. 1. num. 1. illum vocamus, in quo homo conderetur destitutus omni dono gratuito naturali, & supernaturali, & solum haberet pro fine Deum Authorem naturalem. Quarimus ergo formam, pro quam peccatum commissum in tali statu auferri possit. In qua perdifficili controversia ad duo præcipua capita reduci valent diuersa Theologorum placita. Nam quidam dicunt, peccatum posse remitti in illo statu absque infusione gratiæ habitualis. Ita, præter Authores relato dub. præc. pro prima sententia generaliter docentes peccatum mortale posse remitti absque aliqua mutatione intrinseca peccatoris, Zumel, Montes, Bellarm. Gonet, & alij, qui existimant requiri aliquam mutationem intrinsecam peccatoris; sufficere tamen amorem naturalem Dei super omnia, quem elicere potest cum aliquo auxilio entitative naturali gratuito. Alij asserunt, non posse remitti absque infusione gratiæ habitualis. Ita Caiet. Hispal. Herrera, Labat, & novissimè Ferre in præf. quæst. 5. §. 6. & NN. Salmant. in hoc tract. disp. 2. dub. 7. §. 6. quorum mentem explanabimus §. sequenti.

Decisio totius difficultatis:

101 Dicendum est, ad remissionem peccati mortalis in puris naturalibus comissi requiri essentialiter infusionem gratiæ habitualis. Ante cuius probationem absque controversia præmittimus, ad remissionem peccati mortalis in illo statu requiri aliquam mutationem intrinsecam realem ex parte peccatoris propter motiva num. 15. adducta, quæ vel ibi non probant, vel suadere debent efficaciter præsentem suppositionem: siquidem homo in illo statu post peccatum mortale actuale maneret physicè, & intrinsecè maculatus aversus à Deo saltem vt à fine naturali, & dignus odio Dei, & pœna aeterna non minus proprie, quam in præfati statu.

Nec refert, si dicas, hoc in præfati statu rectè convincere: quia prædictæ denominationes in hoc statu fundantur in abiectione voluntaria gratiæ; quod longe aliter eveniret in nostro casu, vbi forma nulla realis destrueretur.

Non, inquam, refert, Primò: quia rationes ibi ponderatæ eò nituntur: quòd peccatum habituale morale in hoc statu aliquid est intrinsecè, sive positivè, sive privativè, dependens à peccato actuali in sui esse, & conservari, & non à Deo, & hac ratione nequit tolli per condonationem præcisè extrinsecam Dei, vel per remissionem penæ sed peccatum habituale mortale in statu purorum aliquid esset intrinsecè sive positivè, sive privativè, ratione cuius homo denominaretur intrinsecè peccator, maculatus, aversus à Deo saltem vt à fine naturali, & nullo modo dependens prout talis à Deo in sui conservari, dignus odio Dei & pœna aeterna: ergo necessaria omnino esset ad sui remissionem mutatio aliqua intrinseca ex parte peccatoris. ¶ Secundò: Nam dato, quòd peccatum actuale illius status nihil reale tolleret à natura; eam tamen inclinatum relinquere ad bonum commutabile determinatè, retardans positivè inclinationem saltem in Deum finem naturalem, quis hoc negabit? (licet chinaricum hoc reputemus sine impedimento intrinseco ex peccato actuali relicto, à quo in hac probatione præcindimus) sed hoc sufficit, ne deleri possit absque mutatione reali peccatoris: sicut materia prima, quæ secundum se potest inclinari in formam appetitū desiderij, aut fruitionis, semel affecta desiderio nequit in fruitionem transferri, nisi mutetur realiter, vt docent NN. Complur. abbrev. in lib. Physic. disp. 3. quæst. 7. ergo pariter inclinata hominis natura determinatè in bonum commutabile per peccatum, quod insuper retardat inclinationem in